
aſymptoto AV parallelas determinatæ, æquales fuerint inter ſe, dico omnes lineas HB, IC, KD, LE, &c. item & omnes lineas AB, AC, AD, AE, &c. continuè proportionales eſſe.

DEmonſtrationem habes l. 7. de Hyperb. Prop. 130. ſequiturque ex præcedente

Scholion.



SEd quorſum hæc inquies? ambages non quæro, ad Logarithmos te duco, licèt valde diſparata videantur hæc à ſcopo noſtro, breuiter igitur eam doctrinam, Logarithmos comprehendere, ſic oſtendo.

Aſſumatur rurſus eadem figura. Sitque ſeries aliqua magnitudinum O, P, Q, S, T in continuâ analogiâ exiſtentium, quarum Logarithmi ſint 6,7,8,9,10. &c. qui quidem numeri eodem ſemper ſeſe ſuperent exceſſu, ſecundum doctrinam Logarithmicam. Aſſumptâ igitur quâdam hyperbola HIN, cuius aſymptoti ſint AV, AG, conſtituantur ad eam lineæ HB, IC, KD, LC, MF, NG, &c. parallelæ quidem ad aſymptoton AV, æquales vero lineis O, P, Q, R, S, T ſingulæ ſingulis, quod quidem per Corr. primæ huius facile fiet. Erunt igitur per tertiam huius omnes ſuperficies HC, CK, KE, EM, MG æquales inter ſe. Vnde ſi continuetur ratio IC ad HB, fiatque eidem proportionalis XZ, eaque per Corr. primæ huius ad eandem hyperbolam conſtituatur, erit & ſuperficies XB æqualis ſuperficiebus HC, CK, &c. vnde tota ſuperficies hyperbolica XG eodem exceſſu excedit ſuperficiem hyperbolicam HG, quo ſuperficies hyperbolica HG ſuperat ſuperficiem IG; & rurſus ſuperficies hyperbolica IG eodem exceſſu ſuperat ſuperficiem KG, & ſic deinceps. Vnde loco numerorum 6,7,8,9,10,11,&c. qui erant Logarithmi magnitudinum O, P, Q, R, S, T, aſſumere poterimus quantitates hyperbolicas XG, HG, IG, KG, LG, MG, aut potius MG, LG, KG, IG, HG, XG. aut ſi hyperbolæ mentionem fieri non vis rationes MF ad NG, LE ad NG, KD ad NG, IC ad NG, HB ad NG, XZ ad NG, cum hæ quantitates, & conſequenter rationes, non minùs æquali ſeſe inuicem ſuperent exceſſu, quàm numeri Logarithmici qui aſſumpti fuerunt. Quare naturam Logarithmicam cum ſuâ terminorum continuatione & exceſſu, vides Hyperbolæ ad amuſſim accommodatam; vt iam loco numerorum, liceat has partes hyperbolicas, aut rationes dictas linearum aſſumere.

Vt igitur nos accingamus tandem ad ſolutionem illarum difficultatum, quæ initio fuêre propoſitæ, ſequētes formo propoſitiones. Ac primam quidem, in quâ exigua eſt difficultas, etiam hîc ſoluere placuit, vt tota materia per hyperbolicas haſce proprietates, quas iam propoſui, quaſque deinceps perſequimur, abſoluatur.

PRO-